

PARS PRIMA

De rebus ad divinum cultum spectantibus
in genere.

CAPUT I.

DE VARIIS SIGNIS CAMPANAE.

1. Septies in die invitat sancta mater Ecclesia Clerum et populum ad laudem Dei dicendam, Constitutiones autem nostrae statuunt, ut Fratres legitime non impediti, audito primo campanae signo pro persolvendo Officio aut aliis Sacris peragendis, sine intermissa mora, in Chorum convenient, ad praeparandam Deo animam suam¹. Porro signa campanae haec sunt:

2. Signum Salutationis angelicae, iuxta antiquam Ecclesiae consuetudinem ab Ordine nostro praecipue introductam, ter in die pulsatur, scilicet: primum in aurora, secundum in meridie, tertium in vespere post occasum solis, hora et modo, quo ab aliis Ecclesiis pulsari solet.

3. Ad Matutinum et Vesperas in festis duplicibus et Dominicis tria campanae signa pulsentur, quorum

¹ Novitii vero, iuxta laudabilem nonnullarum Provinciarum consuetudinem, jam ante campanae signum ad Chorum convenient.

primum aliis longius producatur, saltem spatio duorum *Miserere*; in semiduplicibus, simplicibus, et diebus ferrialibus, duo tantum signa dentur. Tempore Quadragesimae, cum Vesperae ante meridiem dicuntur, bis, dum Nona recitatur, signa dantur: primum sub toto Psalmo *Clamavi*, alterum post ultimum Psalmum, usque dum ab Hebdomadario signum detur ad Vespertas.

4. In diebus Dominicis et duplicibus, cum inchoatur Hymnus *Te Deum laudamus*, campana usque ad *Te ergo quaesumus* pulsetur. In solemnitatibus autem per totum *Te Deum*.

5. Ad Primam unico tantum signo prolixiori pulsetur, quando statim post Litanias aut meditationem dicitur, ubi Fratres iam sunt in Choro congregati; secus duobus signis ad Chorum vocentur.

6. Ad Tertiam ex more nunquam pulsatur, eo quod post Primam semper immediate dicatur; ad Sextam vero, cum seorsum a Tertia recitatur, quemadmodum et ad Nonam, duobus tantum signis pulsetur.

7. Pro Completorio quolibet anni tempore campanabis pleno tractu pulsetur.

8. Ultimum Officii signum Superioris tantum arbitrio pulsandum reservetur: idcirco Superioris obedientia exspectetur, qui articulo digiti scamnum percutiens dat signum, et pulsans a campanae tractu non ccesset, donec Superior idem signum iteret.

9. Suffragia pro Defunctis, quae post vespertinam Salutationem angelicam dici solent, tribus campanae tractibus (vel etiam ictibus) morose protractis, ac debitiss intervallis distinctis pulsentur, ita, ut commode dici possit *De profundis*, cum *Oratione Fidelium Deus etc.*

10. Statutis diebus ac horis pro diversitate temporis, tam hiemalis, quam aestivi, Fratres Laici septem campanae ictibus admoneantur, ut ad Litanias, orationem mentalem et disciplinam convenient.

11. Hora orationis mentalis peracta, Sacrista vel alias ad hoc destinatus trino ictu campanae ipsam terminatam esse indicet, atque eodem campanae signo post Nonam vel respective post Vespertas tempore quadragesimali, cum ad refectionem eundem est, Officium expletum esse annunciet: ut qui refectorii et culinae curam gerunt, tegulae signo respondeant.

12. Missa conventualis iuxta Rubricas Missalis¹ dicenda est post Tertiam, nisi sit de Feria; tunc si est dies ieunii, dicitur post Nonam; si vero sine ieunio, post Sextam. Pulsus ergo campanae hic est: cum Officium fit de festo dupli aut Dominica, ter pulsatur; primum signum datur post Martyrologium, pleno ac longiori tractu; secundum, sub Psalmo *Memor esto* Tertiae, pleno quidem tractu, sed quindecim in fine campanae tintinnis adjunctis; tertium signum circa finem Psalmi *Bonitatem* solis quindecim tintinnis.

13. Cum autem Officium fit de semiduplici, simplici aut de Feria, primum signum datur pro Missa conventuali ad Primam, ut dictum fuit, pleno tractu cum ictibus; alterum ad Tertiam vel respective ad Sextam solis ictibus. In die autem ieunii, quo Missa dicitur post Nonam, primum signum datur sub Psalmo *Mirabilia* pleno tractu campanae cum ictibus, secundum vero, ad finem Psalmi *Principes* solis quindecim ictibus.

¹ Rubricae generales Missalis: XV. De Hora celebrandi Missam.

14. Ad Missas, quae Missam conventualem praecedunt aut subsequuntur in Altari maiori, duo tantummodo dantur signa: primum post elevationem Missae, si aliae Missae subsequantur, alioquin hora a Superiore statuta, pleno tractu cum aliquibus tintinnis; et alterum solis ictibus sub ultimo Missae Evangelio. Ad Missas privatas, extra tempus solitum, dentur pauci tintinni.

15. In festis duplicibus primae classis, in Feria V maioris Hebdomadae, et in Sabbato sancto, cum dicitur aut cantatur *Gloria in excelsis*, in Missa conventuali campana pleno tractu pulsetur, usque ad finem *Gloriae*. Idem servetur ad *Sanctus* et ad utramque elevationem Missae conventualis (praeterquam in Feria V maioris Hebdomadae), nisi aliter consulat loci consuetudo.

16. In Vigiliis omnium festorum primae classis, ac B. M. V. secundae classis, nec non in festis Sanctorum Ordinis nostri, ac aliarum solemnitatum occurrentium, post vespertinam Salutationem angelicam, ad singularem illius diei solemnitatem declarandam, detur signum campanae pleno ac longiori tractu, ut eo populus christianus admoneatur celebriorem diem immovere, quo maiori studio ac diligentia divinis rebus vacandum sit.

17. Cum aegrotis Fratribus ministrandum sit Viaticum vel Extrema-Uncio, omnes per aliquos campanae ictus convocentur.

18. In obitu Fratrum nostrorum, statim ac quis exspavererit, detur signum campanae, ut fit pro Salutatione angelica, longiori quidem tractu; quod si obitus horis

nocturnis contingat, tunc signum ad auroram differatur. Dum corpus Defuncti in Ecclesiam defertur et Absolutio circa corpus completur, pulsatur campana pleno tractu.

19. Dum, ob imminentem grandinem aut tempestatem, campana ad repellendos daemones ac tempestatem sedandam pulsanda erit: primum detur signum Salutationis angelicae eo modo, quo superius dictum est. Tunc vero campana pulsetur pleno tractu per aliquod temporis spatium, quo nubes et tempestates ab aliquo Sacerdote coniurantur.

20. Campana pleno tractu pulsetur post electionem Generalis, aut Provincialis in Capitulo tantum, dum processio fit; ad adventum Generalis in occasione s. Visitationis, aut dum Cardinalis vel Legatus a latere ad Ecclesiam nostram accedit, aut processio Cleri et populi ad Ecclesias nostras adventat et revertitur, aut SS. Viaticum maximo apparatu et pompa prope Ecclesiae vel conventus ianuam pertransit¹.

21. Quoad alios pulsus campanae, v. g. pro benedictionibus, concionibus, processionibus, etc., serventur legitimae consuetudines locorum vel Provinciarum.

22. Si leges civiles aut temporum circumstantiae hunc modum aut usum nostrum pulsandi campanam non permittant, Superiores provinciales meliori modo provideant.

¹ S. Rit. C. 10 Martii 1787.

CAPUT II.

DE MODO INGREDIENDI CHORUM, CONVERSANDI IN EO,
ET EGREDIENDI EX EO.

§ I. — *De modo ingrediendi Chorum.*

23. Religiosus Chorista, auditio consueto ad intrandum Chorum signo, sine mora, ut supra dictum est, ad illum tendat, ita ut ante signi finem in eo sit.

24. Chorum ingrediens caput discooperiat, et sumpta aqua lustrali signet se signo Crucis, seseque in plano versus Altare prosternens utroque genu, terram devote osculetur, mente et corde illud S. P. N. Francisci recitans: *Adoramus te, Domine* etc.; surgat, et sine alia genuflexione cum gravitate versus Superiorem, aut si non adsit versus Chorum, quin tamen Altari ob reverentiam SS^mo Sacramento debitam tergum vertat, se inclinabit; deinde ad suum locum pergit, et genuflexus ad Deum digne laudandum se praeparet, secreto dicens: *Aperi, Domine, os meum* etc.

25. Si quis Clericus aut Novitus Chorum ingrediatur postquam Officium iam incooperit, facta prius solita prostratione, versus Superiorem progrederiatur, genuflectat, et obtenta Superioris venia, terram osculetur, ac facta genuflexione Venerabili, et inclinatione Communitati versus Praesidem, suum petat locum.

26. Qui vero, aut cum venia Superioris aut ex aliquo officio, aut ex alia rationabili causa exire debet, postmodum rediens Chorum, extante in eo adhuc Com-

munitate, ingredietur, et solum facta prostratione versus Altare et inclinatione versus Communitatem, ad suum ibit locum.

27. Si quis Chorum ingrediatur, aliis tunc profunde inclinatis vel genuflexis, v. g. quando dicitur *Gloria Patri* vel *Te ergo quaesumus* etc., non progredietur ultra, sed in ipso ingressu subsistens inclinabit se vel genuflectet, eodem ritu et modo quo caeteri; et absoluto illo versiculo, cum aliis se erigeret et locum suum cum debitiss reverentiis petet ¹.

28. Nemo e Choro exeat, vel transeat de una ad alteram partem, dum dicuntur *Gloria Patri*, ultimae Hymnorum strophae, Orationes, principium Evangelii aut Homiliae, et quando Communitas est inclinata, aut in Missa dicitur aut cantatur *Et incarnatus est in Credo*, aut sub utraque elevatione.

29. Ingrediente aliquo Superiore, incoepio Officio (Superiorum nomine hic intelliguntur, P. Generalis, Definitores Generales, Provinciales, Definitores Provinciales et Superiores locales seu Guardiani), dum facta prostratione ad suum locum procedit, omnes cum sedeant, media inclinatione illum revereantur, ipseque vicissim eadem inclinatione respondeat ². Idem fiet cum Choro egreditur. Caveant autem Superiores, ne Chorum nimia facilitate ingrediendo et egrediendo perturbent.

¹ Caerem. Episc. 1. I, c. 18, n. 4.

² Ibid., n. 5.

§ II. — *De modo conversandi in Choro.*

30. In Choro et in Ecclesia servetur silentium, quia est aula Dei.

31. Fratres in Choro magnam modestiam et gravitatem servent, oculos habeant demissos seu ad Psalterium intentos, manus decenter ac religiose dispositas. Caveant praeterea a notabili brachiorum aut tibiarum extensione dum sedent, nec stent in sedilibus molliter, et cum sedent aut stant, parieti non se reclinent, nec pedes exorrectos nec disiunctos, vel unum supra alium teneant. Caput teneant erectum et non super pectus inclinatum, aut inter humeros absconditum.

32. Strepitum per vocis susurrum, per importunitatem tussiendi, exspundi, per impetuosam elevationem, vel depositionem sedilium, vel ianuarum aut fenestrarum aperitionem et similia vitent, et hoc praecepsim tempore orationis mentalis, vel dum aliquid in particulari legitur aut canitur.

33. Tempore Officii aut Psalterium respiciant, aut, si Officia sint insolita, Breviaria p[re] manibus teneant¹; et nemo legat, recitat vel agat aliquid ad Sacrum non pertinens.

34. Si quis in Choro legens erraverit, sive sit Hebdomadarius sive Acolythus, non ab omnibus, sed a solo Superiori prudenter corrigatur, ne magna confusio et perturbatio oriatur.

35. Omnes in Choro simultaneo motu inclinentur, genuflectant, surgant, stent, se signent, cantent ac pau-

¹ Caerem. Episc. 1. I, c. 5, n. 4.

sent. Uniformitati vocum et corporis gestorum interna quoque consentiat uniformitas mentium psallentium.

§ III. — *De modo Choro egrediendi.*

36. Stante tota Communitate in Choro, sive ad diuinam Psalmodynam persolvendam, sive ad Missam audiendam etc., nemo exeat sine necessitate, nisi qui propter officium suum ad Chorum, Ecclesiam etc. pertinent, exire debeat. Isti nec veniam Superioris petant, nec benedictionem accipient.

37. Caeteri vero, si sint Sacerdotes, versus Superiorum vadant, veniam petant, qua obtenta, profunde inclinent, et facta debita prostratione SS. Sacramento, exeant. Si vero sint Novitii, aut Clerici vel Fratres Laici, genuflexi se sistant Superiori, causam ob quam exire debent ipsi manifestent, obtentaque veniam terram osculentur: surgant, profunde versus Superiorum et Chorales se inclinent, et dein e Choro discedant.

38. Omnes exeuntes a Choro ante aut versus Vulnerabile se prosternant, terram osculentur, versus Superiorum, aut ipso absente, versus Chorum, antequam egrediantur, profunde inclinent, quin Sanctissimo dorsum vertant, et, sumpta aqua benedicta, se signent.

39. Superiores hospites non petunt nec accipiunt benedictionem cum exeunt, sed simpliciter Superiori Chori caput inclinant.

40. Neque Ianitor, neque Sacrista, nec quis alias aliquem ex porta Chori vocet quacumque ex causa, sed ipsum accedat significans ad quid eum vocet.

41. Si quis Sacristiam aut Chorum externum solummodo petit, terram non osculatur, nec veniam petit, nisi adhuc sit Clericus, sed facta genuflexione Venerabili et inclinatione Superiori, vadit viam suam. Hoc idem facit cum regreditur.

42. Caput mediocriter inclinent Praelato et Communici etiam Sacerdotes parati eorumque Ministri Chorum ingredientes, aut egredientes, ante et post Missam seu aliquam functionem.

43. Officio persoluto, si e Choro statim discedendum sit, omnes, dato a Superiore signo, surgant, capite sese invicem salutent, ante SS. Sacramentum terram osculentur etc., et cum modestia et silentio discedant; non enim convenit, statim post Officium aut aliam sacram functionem divagari mente et locum sanctum inanibus verbis replere.

CAPUT III.

DE QUIBUSDAM ACTIBUS IN CHORO ET IN ECCLESIA FACIENDIS.

§ I. — *De signo Crucis faciendo.*

44. Signum Crucis fit duplice, id est, pollice manus dexteræ, et manu seu palma extensa, sinistra extensa et iunctis digitis infra pectus ita posita, ut sit extra limites Crucis. Primo modo fit in ore ad *Domine labia mea aperies* initio Matutini, in pectore ad *Converte nos Deus* initio Completorii, in fronte, ore et pectore ad *Initium vel Sequentia S. Evangelii*, etc.

45. Palma vero extensa ipsiusmet dexteræ manus fit ad *Deus in adiutorium* etc. initio omnium Horarum¹, (non autem cum idem versus in Psalmo, sive in Pre-cibus legitur, aut ad *Pretiosa* ter repetitur: ita tamen se signent, ut ad unumquodque ex praefatis verbis manu tangent primo frontem, deinde pectus, mox humerum sinistrum, ultimo dextrum²); ad *Adiutorium nostrum* etc. ante *Confiteor*, et postea ad *Indulgentiam* etc.; ad Primam, cum Hebdomadarius dicit: *Dominus nos benedicat* etc.; denique post *Benedicat et custodiat nos* etc. ad verba: *Pater et Filius et Spiritus sanctus*, ad Completorium.

46. Signum Crucis manu extensa insuper fit initio Canticorum *Benedictus*, *Magnificat* et *Nunc dimittis*³.

47. Similiter ad Matutinum in festo Epiphaniae, dum inchoatur prima Antiphona *Afferte Domino* (minime vero infra Octavam); ac pariter in ultimo Triduo maioris Hebdomadae ad Matutinum, Laudes et Vespertas, dum prima Antiphona inchoatur; ad reliquas vero Horas, in eodem Triduo, dum inchoatur primus Psalmus⁴.

48. Idem signum Crucis fit ab omnibus in principio Missae, cum Sacerdos incipit: *In nomine Patris* etc., et in fine Missae ad *Benedicat vos omnipotens Deus*, *Pater* etc., et quoties a Sacerdote aliqua benedictio impertitur.

49. De Crucis formationibus in Sacrificio Missae aliisque sacris functionibus faciendis, suis locis tractabitur.

¹ S. Rit. C. 13 Apr. 1867, in Bobien.

² Caerem. Episc. I. II, c. 1, n. 14. — S. Rit. C. 20 Decem. 1864.

³ S. Rit. C. 13 Apr. 1867, in Bobien.

⁴ Vide Gavant. et Merat., s. 6, c. 13, n. 8.